

infirmitus convaluerit ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat. (S. C. Ind. 20 Jun. 1836 et 12 Febr. 1842) Neque eamdem iterare licet eo quod aegrotus eam in statu peccati mortalis receperit, vel, ea recepta, in peccatum mortale inciderit, vel ad eam accipiendam ex pluribus titulis, puta confraternitatis Rosarii vel Scapularis, jus habuerit, etc.

3º Condiciones adimplendae ab aegroto, qui suae mentis compos est, ad hanc plenariam indulgentiam lucrardam, sunt : 1º Mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipere : quae praecipua omium est, ut declarat Bened. XIV. (Const. *Pia Mater*) — 2º Invocatio, saltem mentalis, SS. Nominis Jesu. (S. C. Ind. 23 Sept. 1775) Insuper, ex Const. cit. Bened. XIV, nempe e verbis quibus S. C. Ind. facultatem dandae Benedictionis papalis largiri solet : " corde, si ore nequierint, " : sacerdos aegrotum, quo *certius* indulgentiae fructum consequi valeat, omni ratione excitare debet " ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos concipiendosque ferventissimae in Deum caritatis affectus. " Tandem, saltem e formulis quibus hodie a S. Sede concedi solet facultas Apostolicam Benedictionem impertiendi, videtur omnino necessarium ut morituri, si possint, sacramenta poenitentiae et Eucharistiae acceperint (Bering. I. p. 513) ; si nequeant, sufficit status gratiae.

4º In danda Benedictione Papali, sub poena nullitatis, adhibendus est ritus a Bened. XIV (Const. cit.) approbatus et Rit. Rom. insertus, Si tamen mors proxime urget vel contagii periculum timetur, sufficit adhibere hanc formulam : " Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. " (Bering. I. p. 515)

### § 3. DE JUBILAEO.

**411. I.** Jubilaeum dicitur indulgentia quaedam plenaria cum variis favoribus spiritualibus a R. P. concedi solita. Est autem duplex : *ordinarium*, quod integro anno durat et, more jam ab an. 1475 recepto, vigesimo quinto quoque anno recurrerit; *extraordinarium*, quod R. P. pro arbitrio suo in quibusdam majoribus sollemnitatibus vel Ecclesiae necessitatibus concedit : quod etiam quandoque indulgentia *ad instar jubilaei* nuncupatur. (1)

(1) Regulas juridicas hodie in Jubilaeo servandas statuit eruditus Pontifex Benedictus XIV pluribus Bullis quas occasione Jubilaei anni 1750, edidit. Has regulas servandas esse in Jubilaeis tum ordinariis, tum extraordinariis, modo Bullae Jubilaei iis non derogaverint, respondit S. C. Indulg. 15 Martii 1852. His regulis Benedicti XIV prorsus conformes sunt Bullae quas SS. DD. N. Leo

Inter has duas jubilaei species discrimin quoque viget quoad condicione praescriptas. Pro jubilao enim ordinario generatim nihil aliud praescribitur nisi confessio, communio et ecclesiarum visitatio; pro extraordinario praeterea requiruntur jejunium et eleemosyna. De harum condicione executione valent pleraque quae n. 404 seqq. de generalibus condicionebus ad lucrardam quamlibet indulgentiam dicta sunt, ex. gr. quoad ordinem operum, statum gratiae, etc. Quamquam S. Alph. (n. 537) opinatur omnia opera ad lucrardum jubilaeum extraordinarium praescripta esse peragenda eadem hebdomada, omnino tuta est sententia contraria, quam secuta est S. Poenit. 6 Mart. 1865. (Bering. I. p. 483)

Tandem, dum jubilaeum extraordinarium simul Romae et in universo orbe celebratur, jubilaeum ordinarium prius per integrum annum, qui sanctus dicitur, Romae celebratur, deinde ad universum orbem extenditur in quo solet durare per sex menses a die factae a loci Ordinario publicationis computandos. Attamen, labente anno sancto, quidam fideles qui Romanum pergere nequeant, etiam alibi indulgentiam jubilaei ordinarii lucrari sinuntur, sicut in jubilao currentis anni 1900 indulxit Leo XIII Constit. *Aeterni Pastoris* d. d. 24 Oct. 1899. Summatim hoc favore gaudent :

1º Omnes moniales (etiam lato sensu tales) iisve conviventes alumnae vel aliae mulieres jagiter inter monasterii seu conservatorii parietes degentes, puta earum ancillae.

2º Anachoretae atque Eremitae " qui in continua, licet non omnimode perpetua clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt. "

3º Qui carceribus detenti vel deportationis poenam luentes iter Romanum, durante anno sancto, instituere nequeant.

4º Qui infirmitate proprie dicta vel valetudine ex habitu imbecilla penitus impediuntur quominus Romanum pergant, vel saltem sine gravi incommodo iter Romanum instituere nequeant. His assimilantur senes qui jam *compleverint* septuagesimum aetatis sua annum.

Qui jam, durante anno sancto, lucrati sunt Jubilaeum, seu per iter Romanum, seu per hoc privilegium, possunt frui extensione quaesequenti anno ad universum orbem fiat. (Bened XIV, Const. *Benedictus Deus*)

**412. II.** Circa opera praescripta ad alterutrum jubilaeum lucrandum, haec praesertim attendi merentur :

1º De confessione et communione.

a) Confessio in vigilia jubilaei facta non prodesset ad lucrandas

PP. XIII de Jubilaeo anno 1900 dedit et Monita e Constitutionibus Bened. XIV excerpta, quae a S. Poenit. edita sunt 1 Nov. 1899. De Jubilaeo fuse et eruditus scripsit Loiseaux, *Traité canonique et pratique du Jubilé*.

indulgentias, nisi forte facta esset post primas vespertas diei sequentis et jubilaeum jam coeptum esset.

b) Qui jam confessus, antequam ultimum opus requisitum poneret, iterum in peccatum grave laberetur, teneretur iterare confessionem; non autem cetera opera jam peracta. Idem tenendum de eo qui peccati alicujus in confessione prius facta, per innoxiam oblivionem non enuntiati, reminisceretur. (Bened. XIV, Const. *Inter praeteritos* § 79)

c) Nisi specialis concessio alicubi data fuerit, nequeunt fideles paschali confessione et communione lucrari jubilaeum. (n. 404) Attamen inter utramque hoc discrimen habetur, quod semper, praeter communionem paschalem, et altera requiritur; cum vero confessio non sit affixa temporis paschali, differri poterit ejusdem iteratio: immo non fiet necessaria nisi quis, infra annum currentem, iterum in peccatum mortale lapsus fuerit. (S. Poenit. an. 1875, ap. Act. S. S. t. 8. p. 361)

#### 2º De ecclesiarum visitatione.

a) Quot ecclesiae et quotiens visitandae sint in singulis jubilaeis, e R. P. Bulla et episcopi litteris discendum est. Penes episcopum est facultas, etiamsi in Bulla jubilaei non exprimatur, concedendi ut in locis quae unicam ecclesiam habent, haec totiens visitetur quot sunt ecclesiae pro acquisitione jubilaei visitandae. (S. C. Ind. 15 Mart. 1852) Idem posset quoque visitandum indicere oratorium, dummodo publico cultui pateat et Missa habitualiter in eo celebretur. (S. Poenit. 15 Jan. 1886; Act. S. S. t. 18. p. 334)

b) Religiosi nequeunt lucrari jubilaeum visitando propriam ecclesiam, nisi id eis speciali R. P. privilegio concessum foret. (S. Poenit. an. 1865; Act. S. S. t. 8. p. 554) Hoc privilegio deficiente, si legitime impediuntur quominus ecclesias ab Ordinario designatas adeant, singuli commutationem a suo confessario petant. (S. Poenit. 24 Apr. 1886)

c) In ratione faciendi visitationes et recitandi preces, servanda sunt quae n. 405 explicuimus.

d) Si Bulla praescribit ut saltem semel in die quattuor ecclesiae visitentur, omnes visitandae sunt eodem die: qui tamen intellegi potest vel de die naturali vel de die ecclesiastico, a primis vesperris incipiente et usque ad crepusculum diei sequentis perdurante. (Bened. XIV, Const. *Inter praeteritos*)

e) Si plures eadem ecclesia visitanda est, licet (nisi in Bulla aliter definitur) vel eodem die vel distinctis diebus, visitationes praescriptas instituere. (S. Poenit. 15 Jan. 1886)

#### 3º De jejunio.

a) Qui ob legitimum impedimentum, etiam aetatis tenuioris vel prosectoris, jejunare nequit, jubilaeum lucrari nequit nisi implendo aliud bonum opus, in quod jejunii condicio ab ipsis confessario commutata fuerit. (S. C. Ind. 10 Jul. 1869)

b) Jejunium istud intellegendum est sensu latiore, quatenus abstinentiam complectitur. Per se non complectitur abstinentiam ab ovis et lacticiniis, nisi tempore quadragesimae faciendum sit. (Vol. I. n. 443) Saepe tamen, et praesertim in ultimis jubilaeis a Leone XIII concessis, etiam ova et lacticinia prohibita fuere his verbis: "esurialibus tantum cibis utentes,, neque licuit uti quacumque dispensatione per annum indultum concessa. (Bering. I. p. 490)

c) Jejunium ad lucrandum jubilaeum praescriptum peragere die quam ab Ecclesia praeceptum sit jejunium, non licet, nisi id in tenore Bullae expresse permittatur. Ab eodem tenore pendet num tria jejunia, quae saepe postulantur, facienda sint in eadem hebdomada. Id certe obtinebat, quando in Bulla jejunium praecipiebatur his verbis: "Quarta et sexta feria ac sabbato alterius ex praefatis hebdomadis jejunaverint. „ Sed in jubilaeo occasione Concilii Vaticanii concesso, Pius IX declaravit nihil opus esse ut tres dies jejunii in eadem hebdomada observarentur.

#### 4º De eleemosyna.

a) Haec eleemosyna fieri potest etiam per alium, dummodo is pro quo fit, rei conscientia, intentionem suam elicuerit. Sub hac condicione, potest paterfamilias eleemosynam praescriptam dare pro uxore et liberis, superior religiosus pro subditis suis, dives pro paupere, etc. Attamen religiosi et vere pauperes possunt quoque a confessario suo commutationem hujus conditionis obtainere. (Bering. I. p. 493)

b) Quantam eleemosynam esse oporteat, e tenore Bullae discendum est. Si jubetur fieri *pro cuiusque facultatibus*, necesse est ut aliqua proportio inter dantis fortunas et eleemosynam servetur. Quare sufficiet pauperi, non autem diviti, dare assem. Si vero jubetur fieri *pro cuiusque arbitrio vel devotione*, talis proportio non requiritur: ac proinde sufficit dare pecuniam vel quilibet aliud quod veram eleemosynam constituat.

**413. III. Facultates speciales** confessariis, durante jubilaeo ordinario vel extraordinario, conceduntur. Solent esse sequentes: (1)

1º Commutandi, ex justa causa, opera ad lucrandum jubilaeum praescripta, exceptis tamen confessione, communione et precibus quae ad intentionem R. P. in visitationibus ecclesiarum recitandae sunt. Pro pueris qui nondum primam fecere communionem, neque intra annum sanctum, ad hanc primam communionem parochi proprii vel confessarii

(1) In usu harum facultatum, attendendum est monitum XXVI a S. Poenit. editum 1 Nov. 1899: "Facultas *commutandi vota dispensando* distinguitur a sola ac simplici commutatione, quae subrogationem exigeret materiae fere aequalis: sed commutatio mixta cum dispensatione est capax verae inaequalitatis inter materiam voti et rem subrogatam."

judicio admittendi videntur, similem commutationem pro communione indulgere poterit confessarius. (Bened. XIV. Const. *Inter praeteritos*; Monitum XV Leonis XIII) In jubilaeis ann. 1881 et 1886, indulatum erat ut iidem simpliciter a communione dispensarentur. — Quoad aegrotos hic valere videntur declarationes factae circa aegrotantes de communione commutanda. (n. 405)

Cavendum est ut talis commutatio non fiat absque justo impedimento et ut opus substitutum sit fere aequale ei quod a R. P. injunctum erat, nisi forte poenitens valde debilis foret. Invalida foret commutatio quae sine justa causa fieret, ex. gr. unice ob repugnantiam poenitentis contra jejunium. Si tamen causa in se insufficiens bona fide judicaretur a confessario sufficiens, commutatio valeret: quippe quae prudentiae confessarii committatur. (Ferraris. Bibl. can. v. *Jubilaeum*, a. 2. n. 59)

2º Absolvendi ab omnibus censuris et peccatis, etiam speciali ratione R. P. vel episcopo reservatis. Excipluntur tamen duo casus Bullae *Sacramentum Poenitentiae*, vid. attentata absolutio complicis et calumniosa denuntialio sacerdotis, de quibus dictum est nn. 351 et 400. Quatenus is qui nominatim interdictus, suspensus vel excommunicatus fuerit vel, tamquam censura ligatus, publice denuntiatus fuerit, absolvitur possit in singulis jubilaeis, e Bullae tenore eruendum est. Insuper qui censuram incurrit ob laesionem proximi, absolvitur non potest nisi parti laesae satisficerit, vel si prius poenitens nequeat, non est absolvendus nisi serio promittat se satisfacturum, cum primum poterit. (Monita Leonis XIII, n. IV)

3º Absolvendi etiam Regulares qui ad eos accesserint. (n. 337) Moniales tamen, saltem juxta Bullas postremorum jubilaeorum, absolvere possunt tantum confessarii pro monialibus approbati. Idem valere censemus etiam de monialibus late dictis, strictam clausuram servantibus. (1) Nam in ultimis Bullis dicitur: "Moniales, novitiae *aliaeque mulieres intra claustra degentes.*"

4º Dispensandi in irregularitate, e violatione censurae contracta. (n. 633, III) Recentiores Bullae hanc facultatem restringunt ad casum quo irregularitas est occulta.

5º Commutandi vota, etiam jurata et S. Sedi reservata. (Vol. I. n. 329) Excipluntur vota religionis, castitatis perpetuae vel e quibus jus tertio quaesitum sit; insuper vota poenalia, seu emissis ad periculum peccati removendum. Haec postrema tamen commutari poterunt in opus quod confessarius judicaverit aequa utile ad idem periculum removendum.

(1) Haec scripta erant, immo typis mandata, quando vulgata est responsio S. Poenitentiariae, data, die 11 Jan. 1900, super quaesitis Emi Card. Vicarii Urbis et quae sic sonat: "Ad moniales quoque simplicia vota professas spectare beneficia Bullae *Aeterni Pastoris* eiusque licere confessarium sibi semel eligere ex simpliciter approbatis ad audiendas confessiones personarum saecularium."

(Bened. XIV, Const. *Convocatis* § 32) Ex sententia probabili (S. Alph. n. 537), nulla specialis causa hujus commutationis requiritur.

Durante anno sancto, amplae quoque facultates conceduntur Poenitentiariis Romanis et confessariis per Cardinalem Majorem Poenitentiarium deputatis: quas pro Jubilaeo anni 1900 determinavit Leo XIII Bulla *Quoniam divinae bonitatis*, d. d. 21 Oct. 1899.

**414. IV.** De ratione qua confessarii praedictis facultatibus uti possint, haec notasse juvabit:

1º His uti nequeunt nisi cum illis "poenitentibus... qui sinceram habent jubilaei consequendi voluntatem, quique ex hoc animo injuneta ad ejusdem consecutionem opera adimplendi ad confitendum accedunt." (Bened. XIV, Const. *Inter praeteritos*, 28 Nov. 1749) Qui autem cum ista intentione a censuris absolutus vel a votis dispensatus fuisset, et postea opera praestanda neglegeret, maneret a censuris vel votis solitus, sed peccaret, quamvis communius haec culpa reputetur levis. (S. Alph. n. 537. q. 3) Quodsi sacrilegam confessionem fecisset, censemus cum S. Alph. (l. c. q. 2) non tolli reservationem a peccatis quae ita confessus esset; deserendam vero esse sententiam quorundam (Lugo, disp. 20. n. 113; Ball. P. n. 767) opinantium eamdem tolli, modo poenitens animum habeat instituendi postea bonam confessionem, qua jubilaeum lucretur. Non enim appetit quomodo talis poenitens dici posset accedere ad confitendum *ex animo injuncta opera adimplendi*, nisi forte accessisset sincera mente rite confitendi et tantum in decursu confessionis, erubescens vicius fuisset. Cfr. n. 350.

2º Nisi contrarium in Bulla concedatur, hae facultates in usum deduci nequeunt *extra confessionem sacramentalem*. (Bened. XIV, Const. cit.) Id valere videtur etiam de commutatione operum pro jubilaeo praescriptorum, licet eam extra confessionem facere permiserit Pius IX. Nam satis constat hac exceptione non fuisse sublatam regulam antea vigentem, cum S. Poenit. 30 Jan. 1886 responderit *non expedire* ut talis facultas confessarii concederetur.

**V.** Jubilaeum ordinarium Romae acquiri potest *totiens quotiens* praescripta opera ponuntur; in reliquo orbe semel tantum, nisi R. P. diserte concedat facultatem illud plures lucrandi, siquidem Bened. XIV (Const. *Benedictus Deus*) concessit tantum ut semel acquiratur. Utrum semel tantum an plures acquiri possit jubilaeum extraordinarium, ex Bulla dignoscendum est.

Quodsi licet bis vel plures lucrari jubilaeum, singulis quoque vicibus licet frui commutatione operum praescriptorum, a confessario concedenda. (S. Poenit. 18 Mart. 1886; Act. S. S. t. 18. p. 512) Sed semel tantum